



De capella S. Helenae, inventricis S. crucis.

Capella ista dimissa progressi sumus gyrantes ecclesiam ab intra cum cantu de S. Helena, signato in processionali, et ad unum ostium magnum venimus in muro ecclesiae, ac si per hoc ostium esset exitus de ecclesia extra. Per hoc ostium intrantes in tenebras, quas tamen luminibus nostris repulimus, statim pedibus apprehendimus gradus lapideos, per quos descendimus per XXX passus vel gradus usque in quandam capellam, quae dicebatur capella S. Helenae, quae subterranea est. Ibi ergo cantu finito genibus flexis oravimus, et indulgentias recepimus (†). Haec capella est satis magna, alias parietes non habens, nisi petras, in quibus est incisa, sicut et ipsi gradus de superiori ecclesia inter parietes petrarum descendunt, a superiori vero est testudinata, et per ipsam testudinem lumen incidens habet, ipsa autem testudo fulcitur VI columnis marmoreis, quae, ut dicitur, tempore passionis Christi sustentabant praetorium, in quo judicatus fuit Dominus. Et per sanctam Helenam fuerunt inde huc translatae. Hae columnae sunt politae et nigrae, et semper sudant, et guttatim destillat de eis aqua, et dum aliquis manu vel veste tergit guttas, statim erumpunt aliae guttulae. Porro vulgus dicit, quod sudare inceperint miraculose, dum Christus castigabatur in praetorio, et sudor ille sit fletus earum super innocentia Christi Jesu. Nec omnino abjicienda est vulgi opinio, quae certe otiosa penitus non est. Si enim lapides laudes Redemptori proclamare dicuntur, hominibus a laudatione silentibus, ut habetur Lucae XIX.; quid mirum, si lapides (B) flere mortem Redemptoris hominibus ridentibus [existimentur]. Quia enim in die palmarum pueri Ebraeorum et discipuli Christi Osanna clamabant, lapides tacebant, et si hi tacuissent, lapides clamassent: sic si mortem innocentem et acerbam homines flevisset, lapides lacrymas non dedissent. Sed quia illi non flebant, lapides lacrymas fundebant, sicut et scissi in morte Christi leguntur. Nullum ergo inconveniens vulgi pia habet opinio, dicens: columnas illas in morte flevisse, nisi quod in Scriptura non legitur: facilius est enim, lapidem lacrymari, quam laudes decantare. Dicunt

308

306

312

302

317

297

357

257

407

207

Ende

Anfang